

prorsus observatione indignum putaverim, sanctum virum passim, dum de suæ voluntatis decreto, atque spe scribit, *θέλησιν* vel *ἐπιτροπήν τῷ κυρίῳ* haud raro adjungere, prouti factum hoc videmus I. Cor. IV. 19. XVI. 6. 7. Phil. II. 24. coll. Jacob. IV. 15. Nonnulla heic allata jam pridem bene observavit IACOBVS VVELLERVS l. d. p. 740. Unde hanc putem constitui posse observationem: Sancti DEI homines, non ut prophetæ, de rebus futuris commentantes, semper voluntatem permissionemque DEI optimi maximi vel adiungunt, vel, si adiuncta non fuerit, subintelligunt & subaudiunt. Quod quo minus ad PAVLLI Romam eundi propositum, ejusque circumstantias accomodemus, nihil profecto impedit; ut adeo, qui non *προφητικῶς*, sed *ισορικῶς*, qui non ex absoluta & mera, sed ex conditionata & mixta scripsit inspiratione, qui sperare tantum se ait, qui aliorum preces efflagitat, ut iter suum faustum felixque sit, & qui denique permissioni divinæ omnia submittit, atque non *προφητικῶς* de futuris scribens semper hanc conditionem tacite intelligit; ex divina nihilominus inspiratione scripsisse censendus sit; quum partim Spiritus Sanctus ad scribendum eum impulerit, partim in scribendo gubernarit, partim etiam materiam scribendi cogitationesque de ea veritati consentaneas, easque exprimendi formulas suppeditarit.

## §. XVI.

Verum ad PAVLLI nostri iter Romanum ut redeamus necesse est. Post difficillimam itaque, incommodoque tempore initam navigationem, post perlatum ad insulam \* Maltam naufragium, post

G 3

trium

\* Actum ageremus, & perquam a nostro instituto esset alienum, si amœnitates historico-geographicas ex hoc Romano PAVLLI itinere denuo heic, post doctissimorum hominum lucubrations & commentationes, colligeremus. Litteris illud consignavit LVCAS, testis oculus, itinerisque socius, Actor. XXVII. 1 -- XXVIII. 16. Copiosius autem hoc LVCAE filium secuti explanarunt tum historiz sacræ, tum vitæ etiam Paullinæ enarratores. Inter illos hoc fecerunt auctores historiz ec-

clesiasticæ, quæ ab ordine & loco scriptionis Centuriarum Magdeburgensium nomen indepta est, Cent. I. Lib. II. C. X. p. 594. perpetuusque & ex professo harum adversarius CAESAR BARONIVS Annal. Eccles. T. I. ad annum CHRISTI 58. Num. CLXVII. p. 638. usque ad ann. 59. Num. III. p. 643. Hunc longe superavit vir mea laude superior SAMVEL BASNAGIVS Flottemanvillæus, qui Annal. Politico-Eccles. T. I. ad annum Domini 59. Num. V. p. 699. & ad annum Domini 60. Num. VIII. -- X. p.

704